







1767.

1. Myrerus, Georgius Henricus: De consensu et dissensu
parisi Lubecensis et Romani circa embarones et
uenditiones.
2. Myrerus, Georgius Henricus: De iure episcopali prin-
cipum Evangelicorum pactio.
3. Beckmann, Johann: Gedanken von der Einwirkung
der oekonomischen Vorlesungen.
4. Boehmerus, Georgius Ludovicus: Theses inauguralis.
5. Gebauerus, Georgius Christophorus, Ord. juridici Deca-
nus: honores ... Christianus Fredericus Oberap,
Carolo Adolpho Limmero, Adite Bernharti
Borghardi et collatis indicat et conferendis
indicat simul nostri cujusdam Brenkemanniani
specimina exhibit.

1767.

6. Kastner, Abraham Gotthelf: Betrachtungen über die Art wie allgemeine Begriffe im öffentlichen Verstande sind. Nebst e. Anzeige seiner Vorlesungen.
7. Limmer, Cornelius Adolphus: De rotulo reprobatorio ad perpetuam memoriam condito, actori in defectu aliorum probandi mediū edendo.
8. Meisterus, Christianus Ferd. Geo.: Dissertatio inaug. singularis juris statutarii Saxeburgensis in materia concursus creditorum exhibens.
9. Puetter, Joannes Stephanus: Oratio juridici prodecanus: Georgii Gustavi Sieberni et W. Thelmini Augusti Rudolphi solennis inauguralis in die 17; praemissa commentationibus: De instauratione imperii Romani sub Carolo M. et Ottobus facta ejusque effectibus parte secunda: De altera illa instauratione

sub Ottone M. cinque successoribus facta.

10. Putterus, Franciscus Stephanus: De juris Dictione
in fenda imperii
11. Rantloff, Guilielmus Augustus: De jure Germanico
juxta methodo tractando.
- 12^a Rantloff, Guilielmus Augustus: De litteris convocato-
riis et comitia
- 12^b Rantloff, Guilielmus Augustus: De litteris convoca-
toris et comitia. Accedit litterarum convoca-
toriarum antiquiorum appendix.
- 13^{a & b} Seyberth, Philippus Henricus: De reditu annuo
procerum vobli, Bentina ac fideis viduarum
2 exempl.

1767.

14. Vogel, Paul. Augustinus: De partu serotino
valde dubio

P. 17. num. 4

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
CONSENSV ET DISSENSV IVRIS
LVBECENSIS ET ROMANI
CIRCA EMPTIONES ET
VENDITIONES.

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GEORGIO III.

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE
REGE, FIDEI DEFENSORE, DVCE BRVNSVICENSI ET
LVNEBURGENSI S. R. I. ARCHITHESAVRARIO
ET ELECTORE.

AVCTORITATE INCLYTI ORDINIS IVRIDICI
PRAESIDE

GEORGIO HENRICO AYRERO

PHIL. ET L. V. D. CONSILIARIO AVL. REGIO
ET IVR. ANTECESSORE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA
RITE ET LEGITIME CONSEQVENDI
PVBLICAE DISQVITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

ADDE BERNHARDVS BVRGHARDI

LVBECENSIS



AD D. XXIII MAII MDCCLXVII.

GOETTINGAE

LITTERIS HAGERIANIS curant. E. D. ALBERTI.

P. 214



DISCRETISSIMO PATRI
CONSENSU ET PRAESENTIA
I. SACROSANCTAE ROMANAE
CURIAE PATRONATUS
VENTILATIONIS

OVAN
RECTOR MAGNI GYMNASII
POTENTISSIMO PATRI AC DOMINO
D O M I N O

G E O R G I O I I I

RECTOR MAGNI GYMNASII
POTENTISSIMO PATRI AC DOMINO
D O M I N O

AVCTORITATE PUBLICA
EXACTIO

G E O R G I O H E N R I C O A Y R L O

P R O F I C I E N T I A


AVTORITATE PUBLICA
EXACTIO

A D D E B E R N H A R D Y S B Y R G H A R D I

A D D E B E R N H A R D Y S B Y R G H A R D I

G E T T I N G A E

AVTORITATE PUBLICA
EXACTIO



PERILLVSTRI GENEROSISSIMO ET
AMPLISSIMO SENATVI

S. R. I. LIBERAE CIVITATIS LVBECENSIS
MAGNIFICIS CONSVLTISSIMIS ATQVE
PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

Dnn. CONSVLIBVS

Dnn. SYNDICIS

Dnn. SENATORIBVS

Dn. PROTONOTARIO

Dnn. SECRETARIIS

PATRIAE PATRIBVS BENIGNISSIMIS

PATRONIS ET FAVTORIBVS SVIS

AVCTOR
RICHARDVS OBSEQVIOSE VENERANDIS

INAUGVRALEM HANC
DISSERTATIONEM

CVM

DEVOTISSIMA SVI COMMENDATIONE

D. D. D.

AVCTOR

ADDE BERNHARDVS BVRGHARDI.

PATRIBUS
REIPUBLICAE SUNDENSIS CONSCRIPTIS
VIRIS

ET GENERIS ET VIRTUTUM, ERUDITIONIS, MERITO-
RUMQUE SPLENDORE MAXIME CONSPICUIS,
GRAVISSIMIS, PIE COLENDIS

DNN. CONSILIARIIS PROVINCIALIBUS
REGIIS.

DNN. CONSULIBUS.

DN. SYNDICO.

DNN. CAMERARIIS.

DNN. SENATORIBUS.

MAECENATIBUS
PATRONIS ATQVE FAUTORIBUS, GENEROSISSIMIS,
AMPLISSIMIS, HONORATISSIMIS,
AD CINERES USQVE DEVENERANDIS. POTISSIMUM
DNN. STAUDIANI STIPENDII
CURATORIBUS
SUMMA OBSERVANTIA AETERNUM COLENDIS

VIRIS
GENEROSISSIMIS, MAXIME REVERENDIS, PRAECEL-
LENTISSIMIS, AMPLISSIMIS,

DOMINO
CHRISTIANO EHRENFRIED
A CHARISIEN
REGIO PROVINCIAE HUIUS CONSILIARIO ET CIVITATIS
SUNDENSIS CONSULI.

DOMINO
BRANDANO GEBHARDI,
S. S. THEOL. DOCT. MINISTERII SUNDENSIS SUPERINTENDENTI,
GYMNASII PROFESSORI, ET AD AEDUM S. MARIE PASTORI.

DOMINO
JOHANNI ALBERTO
DINNIES
CIVITATIS SUNDENSIS CAMERARIO

DOMINO
MAG. EHRENF. CHRISTIANO COLBERG
AD AED. S. JACOBI DIACONO.

DOMINO
MAG. CHRISTOPH. ANDREÆ BÜTTNER
GYMNASII SUNDENSIS RECTORI,

DOMINO
J. H. BENTZIEN
COLLEGIO SENIORIM CIVITATIS ADSRIPTO.

DOMINO
JOH. SCHLICHTKRULL
CAUSARUM PATRONO

SALUTEM ET OBSEQVIA.

Quantum VOBIS, CURATORES GRATIOSISSIMI, BENIGNISSIMI, jam inde a teneris debeam, si verbis aut encomiis efferre digne possim, meam dicendi tenuitatem hac saltem vice mihi satisfecisse putarem. Jam vero sperare id vetant VESTRA in me merita, quorum vix ac ne vix quidem numerum inire, nedum magnitudinem oratione adsequi valeo. Gratissimi tamen pectoris necessitate, non minus quam ipsius Testamenti Tabulis coactus, specimen hocce ad
aream

aream VESTRAE benevolentiae deferre volui, quod, quaecumque id demum fit, VESTRIS certe solis erga me perpetuisque curis & opportunitatem suam debet & scribendi materiem. Ecquod enim aliud argumentum suboriri potuit juveni, unum hoc die noctuque cogitanti, quemadmodum tantis dignum se praestaret favoris documentis, quam id praecipue ipsum, *quod justum esset circa Legata ad pias causas*, cujus quidem numeros vos omnes ac singuli adeo implevistis, ut nemo rei illius scriptor in meliora officii hujusmodi exempla intueri unquam poterit. Suscipite igitur, CURATORES OPTIMI, ea, qua soletis, benevolentia ingenuum VOBIS placendi h. e. de me ipso & Republica bene olim merendi conatum, utpote quae intellexi esse conjunctissima, atque adeo me meamque fortunam exoptabili benignitatis VESTRAE aura, oro rogoque, prosequamini,

MAGNORUM NOMINUM VESTRORUM

Cultor perpetuus
C. F. R. STAUDE.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO AVCTORI ET RESPONDENTI

C. F. R. STAUDE

S. ET O.

P R A E S E S.

Memor beneficii Staudiani, quo frueris, munificentissimis Dominis Curatoribus publicum exhibere specimen animus Tibi est, quo legibus illius non modo obsequentem, sed gratum etiam eodemque non indignum Te alumnum commonstrare possis, postquam nempe annos studiis academicis destinatos laudabiliter jam exegisti. Dissertationem igitur Academicam, hunc ad finem maxime accommodatam *de eo quod justum sit circa legata ad pias causas*, & meo sub moderamine habendam ipse conscripsisti, cui dum praeterea Testamentum ipsum, sane perquam pium ac prudens, inferere, atque perenni memoriae tradere voluisti, optima conscientia plenus, publice simul spem fecisti, nihil eorum, quae in eo ab alumno requirantur, omnino esse a Te praetermissum. Neque dubium est, quin Tu, egregio praeditus ingenio & probata in his literis industria commendabilis, dissertationem hanc dexterrime etiam sis defensorus, praesertim cum tota proprio Marte a Te elaborata omnem

omnem cogitationum suarum seriem Tibi uni debeat, ne
verbo quidem a me immutatam. Etenim nihil quic-
quam eidem vel addere vel detrahere volui, quo ve-
rum atque illibatum extaret diligentiae Tuæ ac virium
documentum, simulque ut imperfectioni operis, quod
primum est ingenii experimentum, eo justius ignoscere-
tur, id quod hisce publice nunc testari & volui & debui.

Tibi autem, Prænobilissime Doctissimeque Domine
Auctor, Amice æstumatissime, de præsentis eruditionis
specimine eo magis gratulor, quo certius ex singulari
Tuo ad virtutem impetu, & ex hoc etiam ipso laudabili
auspicio de futura Tua doctrina atque adeo de republica
bene merendi solertia conjicere licet, quibus ut Supre-
mum Numen incrementum quotidie addat, ac felicitate-
tem, quibus possum, ardentissimis votis opto ac
precor.

DISSER-



DISSERTATIO INAUGVRALIS

DE

CONSENSV ET DISSENSV IVRIS
LVBECENSIS ET ROMANI
CIRCA EMTIONES ET
VENDITIONES.

§. 1.

Quanquam, obseruante HEINECCIO (1), emtio' venditio, tanquam contractus consensualis, Romanis aequae, ac aliis gentibus cognitae, vsuque quotidiano frequentatae, vix quidquam singulare habuit apud Germanos, operae tamen pretium esse censeo, ex Legibus Germanorum & praecipue ex Iure Lubecensi paulo vberius, quam sero illi Iuris Patrii sed eo diligentiori cultori ac doctori celeberrimo placuit, conuentionis huius formam, naturam, atque effectus eruere, vt cognitis Legibus patriis appareat, quid de differentia & consonantia Iuris Romani & Germanici in hac materia sit statuendum. Confiteor quidem, me parum assentire illis, qui ad effingendas docendasque differentias iuris peregrini & patrii nimis sunt procliuēs, quin potius in contrariam sententiam Illustrium quon-

Introitus.

(1) In Elem. Iur. Germ. Lib. II. Tit. XIV. §. 394.

quondam virorum, Cancellarii, Vniuersitatis Fridericianae, de LVDEWIG, HEINECCI, aliorumque abire nullus dubito. Dantur tamen dif-
 fensus vtriusque Iuris, quos sedulus & ad cardinem rei attentus iurium
 cultor obseruat, vel tunc potissimum, si ad trutinandas controuersias
 forenses, vbi ius patrium viget, vocatus, aduersarium suum Romanis
 armis decoratum, & contra ius patrium militantem experitur, aut ipse
 quoque peregrinis sibi armis decertandum esse, periculo suo statuerit;
 saepe enim contingit, vt in tractandis defendendisque negotiis litigio-
 sis causarum Patronus, iure peregrino optime eruditus, dato casu in
 Legibus patriis, quae generalia saltem continent, non determinato,
 statim more solito ius peregrinum in subsidium vocet. Saepius vero,
 sese oleum & operam perdidisse intelligit, seroque sapit. Quid? quod
 Iudices quoque interdum, patriarum Legum ignari, nubemque pro Iuno-
 ne amplexi mirum quantum falluntur, dum ex peregrinis fontibus facta
 Germanorum diiudicant, & consuetudinibus, legibusque patriis con-
 trariam sententiam ferunt. Sunt quidem nonnulli, qui ex instituto
 ad ius quoddam singulare patrium commentati concentum Legum
 Romanarum & Germanicarum omni numero absolutissimum somniarunt,
 atque adeo casus, de quibus ius patrium silet, ex peregrino illustrare
 conati fuerunt, vbi tamen consultius fuisset, si patrias Leges & anti-
 quas & hodiernas diuersarum prouinciarum Germaniae seu Statuta sub
 titulis certis in ordinem quandam redegisent, indeque ius patrium ge-
 nerale, seu conceptum Legum Germanicarum veriorem eruisent. Mi-
 nime enim dubitandum est, quin amice in plerisque conspirent Statuta
 & Leges omnium fere patriae prouinciarum (2), quod illi potissimum
 experti fuerunt, qui feliciori conatu hodierna statuta ex antiquitatibus
 patriis

(2) de LVDEWIG in praefat. de *triplici Iurisprudentia in foris Germa-
 niae* §. 7. p. 8. *vnae Iustiniani M.* praemissa.

patriis & maiorum consuetudinibus vndique collectis non sine indefesso & Herculeo quasi labore illustrarunt, & Principes Ictorum sese praefiterunt, quorum castra quum prae ceteris sequenda sint, tanquam leuis armaturae miles, sub illorum signis periculum faciam, quid valeant humeri, quid ferre recusent, seledum saltem obseruationem ad Titul. Iuris Lubec. de emtione & venditione hic exhibendo, huiusque differentias paulo plenius, quam olim a ciue quoque Lubecensi, ANT. DAN. SONNEMANNO, Praefide SAM. STRYKIO factum est (*) ostendendo.

S. II.

Vt autem ab ovo incipiam, binis saltem verbis, quod ad originem *Origo emr. venditionis.* contractus seu pacti emtionis & venditionis attinet, notandum est, huic antiquam & omnibus populis communem permutationem (1) ansam dedisse, qua ab incunabilis societatum humanarum, deficiente moneta, duo vel plures libere de rebus suis disponentes rem pro re vel mercem pro merce sibi inuicem de manu in manum dabant, vel fumere permittebant. Perficiebatur ergo Permutatio rerum solo consensu promittentium & traditione rerum promissarum, quae duo requisita, tanquam necessaria, vnice ad essentiam seu naturam huius negotii pertinent, & a permutatione abesse nequeunt (2). Omni adeo dubio caret, si paciscentes valorem quandam rebus permutandis tribuunt, atque hinc non

(*) In Diss. de different. iur. comm. & Lubecens. cap. XI.

(1) L. 1. ff. de contrab. emr. TACITVS de morib. Germ. c. V. NIEV-
FOORT Ritus Roman sect. VI. c. III. §. 1. p. 548. IOH. CHRIST.
CLEFFEL Ant. Germ. potissimum Septentrionalium p. 366. § VII.
sq. SAM. PUFENDORF de Iure Nat. & Gentium. Lib. V. c. 5.
§. 1. p. 682. edit. HERTII.

(2) cf. L. 1. §. 2. D. de rer. permut.

non domum pro vacca, vel agrum pro gallina, sed domum pro domo, agrum pro agro, & plures res minimi quoque valoris computant, & coniunctim pro re quadam maximi valoris permutant, tale negotium esse permutationem, quamquam natura in contractu permutatorio non imperat aequalitatem, quae ab arbitrio paciscentium pendet, modo sit libera eorum voluntas (3); interueniente vero determinatione pretii rei, secundum materiam, quae publica & perpetua aestimatione gaudet, & tanquam norma seu mensura ad res aestimandas praescripta est (4), statim fit emtio venditio (5), de qua infra. Vti vero a solo consensu seu a voluntate hominis dependet, quales res permutare velit, sic quoque omnes ac singulae res corporales & incorporales veluti haereditas, vsusfructus, obligationes quoquo modo contractae permutatione ad alium transferri possunt, vt aurum non signatum pro fundo,

- (3) Dissentit GROTIVS de iure B. & P. Lib. II. c. XII. §. 8. 11.; qui natura imperatam in contractibus aequalitatem desiderat.
- (4) Vid. GROTIVS de I. B. & P. L. II. c. 12. §. 16. ibique SAM. de COCCII.
- (5) Aliter PVENDORFIVS, quippe qui *permutationem duplici modo fieri asserit; vno, quum res ipsae aestimantur pecunia & loco velut pecuniae inuicem traduntur. cer. Ast per hanc distinctionem rem magis implicare, quam explicare videtur, si quidem talis contractus est vera emtio & venditio, vti Vir Celeb. ipse agnouit, dicendo: Prior est velut reciproca emtio venditio, vbi vtriusque res in pretium imputatur. Ius Nat. & Gent. Lib. V. c. V. §. i. Hoc vero negotium, de quo loquitur PVENDORF, ita se habet: Titius aestimat agrum Caii, hic agrum Titii, vtriusque debetur pecunia numero determinata, quam vterque inuicem sibi soluere deberent. In compendium vero solutionis Titius Caio, & hic Titio quisque agrum suum in solutum dat. Est ergo hoc negotium nihil aliud, quam datio in solutum, non quidem Romana Nou. 4. c. 3. sed pactitia seu naturalis, & Germanica.*

fundo, argentum pro usufructu, & sic porro. Hoc negotium vocabant Germani *Büsen*, *Beuten* permutare, vnde *Kütbüten* permutare nostratibus satis notum est, *Beute*, *Büte* (5) permutatio; hodie *Tausch*, *Tauschen*, *vertauschen*, quod nonnunquam & hodie celebratur, sed raro obuenit.

§. III.

Postquam enim gentes, cuprum, aurum, argentumue in pretio habere, & signare coeperunt, sensim pedetentimque permutationis loco negotium emtionis & venditionis inualuit, quo duo vel plures de pretio, quod in numerata pecunia consistere debet, & de translatione domini rei certae, vel pure vel conditionate inter se conueniunt. Sunt ergo necessaria emtionis & venditionis requisita, nimirum determinatio pretii rei certae & consensus contrahentium de dominio eiusdem rei in emtorem transferendo, vel pure, vel sub conditione, respectu rerum & personarum, non minus, quam formae contractus, seu pacti (1).

Natura emtionis et venditionis.

§. IV.

Vti enim inconstans semper & varia est hominum voluntas, qui quod hodie statuunt, postera die retractant, vel tunc maxime, si per-

Forma huius contractus secundum Ius Naturae arbitraria.

- (5) HADLERSCHES LANDRECHT P. 2. Tit. XI. In PVFENDORF II obf. Iur. Vniu. Tom. I. app. p. 19. & Tit. XIV. p. 21. *von Beuttschaften. Wan Gut umbeleget und verbeutet wird, als Sand um Sand, Land um Land, ohne einige Zugabe, solche Beute bleibet würdig cet. Conf. STAT. CIVIT. LAVENBURGI ibid. Tom. III. p. 329. art. 7.*
- (1) Huc pertinet, si partes specialiter inter se conuenerunt, vt consensus per scripturam, vel per aliud quoduis symbolum exprimat, vid. PVFENDORF. I. N. & G. Lib. V. c. V. §. 2. quo neglecto venditio adhuc imperfecta est.

fidia sese negotiis immiscet, & traditio rei venditae non statim in ipso contractu sequuta, sed in diem promissa sit. Itaque necesse erat, ut in statu quoque naturali ad probandum negotium inter duos vel plures solo consensu initum, solennitatem aliquam seu formam quandam adhiberent promittentes externam, qua facilius ex pacto agens alterum statim de negotio ita peracto convincere posset. Quae solennia seu formalia, uti ab arbitrio hominum dependent, quae & qualia adhibere velint, varia esse possunt, pro statu & consuetudinibus cuiuscunque populi seu gentis, vel sine Lege, vel sub Lege viuentis, atque hinc alia arbitraria sunt, seu consuetudinaria, alia legalia. Illa dicuntur, quae sola consuetudine sunt introducta, & frequentantur; haec vero, quae Legibus sunt definita, & quorum omissione negotium emtionis & venditionis viciatur. Vnde per se patet, consuetudinaria aequae, ac legalia Symbola seu formalia emtionis ac venditionis variarum Gentium diversa esse posse, & admodum variare.

§. V.

Effectus secundum Ius Naturae.

Praeter naturam atque formam contractus emtionis & venditionis denique de effectu huius negotii naturalis dispiciendum est. Et primo quidem respectu personarum seu paciscentium, deinde respectu rerum venditarum, & solutionis pretii determinati. Quod ad primum attinet, obligantur sibi inuicem paciscentes ex pacto, venditor ad tradendam rem venditam, vel statim in ipso pacto, vel in diem; emtor ad pretium rei emtae, itidem vel in ipso actu, vel in diem, pro tenore cuiusvis pacti, venditori soluendum. Vtrique vero inde nascitur ius quouis modo adigendi reuuentem ad standum promissis. Respectu vero rerum considerandum venit, quid paciscentes de traditione rei emtae

emtae ac venditae & de solutione pretii statuerint, vtrum res in continenti sit tradenda & pretium soluendum, an vero in diem vtrumque alterutrumue fuerint dilatum. Priori casu periculum rei emtae, vti & dominium cum possessione ad emtorem, posteriori ad venditorem vsque ad traditionem spectat (1), quoniam ipso hoc pacto expresso venditor non solum curam rei vsque ad traditionem suscipit, sed etiam retenta possessione (2) dominium, non quidem illimitatum, sed pacto ad dominum rei stato tempore vna cum re ipsa tradendum obligatur. Sin nihil traditionis causa dispositum, arbitrio emtoris vel expresse vel tacite relictum sit, vtrum rem emtam vel statim in ipso negotii contracti momento, vel alio quolibet tempore actu possidere velit, & dominium & periculum rei emtae a tempore initi pacti ad emtorem pertinet. Sibi enim imputet, quod possessio rei emtae actualis apud venditorem remanserit, & postea res perdita sit, quam a tempore initi contractus actu possidere potuisset, (3) nisi dolus possidentis venditoris rei

(1) Vid. GROTIUS de *Iur. B. & P.* Lib. II. Cap. VI. §. 1. c. XVII. §. 25. & Cap. XII. §. 15. qui tamen dum existimauit: *sive traditione, ipso contractus mandato solaque voluntate domini, rem suam alteri in hoc addicentis, transferri dominium posse*, mera iuris ciuillis Romani principia ante oculos habent. Conf. quae contra eum hac de causa disputarunt vtrique COCCÆIUS, pater in *diff. An traditio ad transferendam dominium sit necessaria*, filius in *diff. prooem. ad GROTIUM XII. §. 268.* Add. VINNIUS in *comment. ad Tit. Inst. de Res. diuis.* p. 40.

(2) Cel. BREVNING *Diff. de praestatione euictionis Iure naturali incognita* c. III. p. 15. Dominium ex iure naturali a possessione pendet.

(3) Quam sententiam refellere quidem studet PVFENDORFIUS de *Iure N. & G.* Lib. V. c. V. §. 3. verbis: *Rationem eius discriminis in-*

rei perditae interuenerit. Quamquam vero dominium & possessio rei emtae regulariter ab initio statim ad emtorem pertinet, attamen rem emtam non prius sibi acquirit, quam solutio pretii determinati fuerit insequuta. Namque, hac deficiente, secundum Ius Naturale integrum est venditori, vtrum restitutionem rei venditae, an solutionem pretii ab emtore exigere velit (4). Vti vero in arbitrio est paciscentium, an de

tra-

ser alias hanc offerunt, quod, quum emtor statim potuerit ac debuerit rem auocare, & pretium soluere, quo facto res apud ipsum perisset; igitur emtoris moram ac negligentiam venditori nocere non posse - - Verum ex his nondum liquida apparet ratio, cet. amplectitur tamen eandem hanc sententiam p. m. 687. ita loquendo: Vbi vero emtor in mora fuit, quo minus rem venditam acceperit, aequum fuerit, ipsius periculo rem perire.

- (4) Id, quod IVSTINIANVS *Instit. de rer. diuis.* ex solo lumine naturae cognouit, dum §. 40. ait: *Per traditionem quoque iure naturalis res nobis adquiruntur.* addita ratione: *Nibil enim tam conueniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.* Cur vero citra traditionem dominia rerum iure gentium non transferuntur, belle explicat VINNIVS l. c. Pergit deinde §. 41. Imperator: *Venditae vero res & traditae non aliter emtori adquiruntur, quam si is venditori pretium soluerit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore aut pignore dato, quod quantum cauetur Lege XII. Tabularum, tamen recte dicitur, & iure Gentium i. e. iure naturali id effici, ad quem locum itidem conferti meretur VINNIVS & cum eo HEINECCIUS in not.* Quae vero in fine huius §. legimus; *sed si is, qui vendidit, fidem emtoris sequutus fuerit, dicendum est, statim rem emtoris fieri*, haec verba de iure ciuili Romano sunt intelligenda. Oppido enim liquet, in mente habuisse Imperatorem pactum Romanorum fiduciae, de cuius formulis, quibus utebantur, & sibi caebant, in stipulando, vide sis CJC. de officiis Lib. VIII. c. 15. 16. 17. BRISSONIVS de formul. & solenn.

po-

traditione rerum venditarum certum quid statuere velint, nec ne, sic in ciuitate quoque vel ab arbitrio descendit legislatoris, vel a Consuetudine, tanquam arbitrio populi, quidquid de dominio & periculo reventae ac venditae, eo casu, si paciscentes de traditione nihil determinarunt, vel Legibus statutum, vel iure Consuetudinario introductum fuerit, vnde diuersitas Legum & Consuetudinum diuersorum populorum originem trahit. Ex hisce ergo, quae diximus, iam satis intelligitur, aut essentiam & effectum vel substantiam emtionis & venditionis naturaliter pertinere I. Consensum liberum, nec vi, nec metu extortum. II. Determinationem pretii rei vendendae. III. Traditionem rei venditae. IV. Solutionem pretii. Omnia reliqua requisita emtionis & venditionis sunt iuris ciuilis positium, & variare possunt pro ingenio hominum & statu cuiuscunque Ciuitatis, vti & omnia solennia seu formalia,

populi Rom. verbis, p. m. 356, XVI. Quid in dubio, si nulla mentio de pretio postea soluendo facta fuerit, statuendum sit, discrepant iuris interpretes. SCHNEIDWINVS ad dictum §. 41. communem doctorum opinionem secutus, regulam tradit: *In dubio, qui rem emtori tradit, non videtur sequi fidem emtoris, nisi contrarium appareat*; Eandem tamen regulam inuertit VINNIVS auctoritate FABRI, WESENBECCI, BACHOVII aliorumque nixus, rectiusque ita concipit: *In dubio, qui rem emtori tradit, non videtur sequi fidem emtoris, nisi emtor contrarium doceat*. Quum enim saepe periculosum sit fidem de pretio habere, neque mercatores inprimis satis cauti esse possint, vt, quibus fidant, semper videant, regulariter hic quoque adfirmanti tale factum incumbit probatio, quod pluribus ostendit SAM. STRYKIUS in *diff. de Fide habita* cap. IV. n. 2. sqq. Idem argumentum praeter HOPPIVM in *Diff. de Fide habita* tractant LVDOVICI *de creditore ad fidem habitam inducto*, & III. SCHORCHIVS *de eo, quod influm est circa venditionem fide de pretio habita*.

lia, quae plene ab arbitrio paciscentium pendent, & proinde neque ad naturam pacti pertinent, neque eius efficaciae in statu hominum naturali aliquid tribuunt, sed ad meliorem saltem probationem sunt inuenta. Si quis igitur effectus seu efficacia ex observatione vel neglectu horum solennium per Legum dispositionem in ipsum pactum redundat, hoc non est iuris naturalis, sed mere ciuilis. Hisce praefructis, conuertimus nos ad iura positiua & quidem in specie ad Ius Lubecense & Romanum, vt videamus, quidquid sit, quod vtrumque ex communibus Iuris Natur. principiis retinuit, & in quo ab hisce aequae, ac inter se, differunt.

§. VI.

*Secundum
ius Lubec. na-
turam emtio-
nis si species.*

Secundum Ius igitur Lubecense, si naturam emtionis & venditionis consideramus, & quidem generatim, siue sit de bonis mobilibus, siue immobilibus initum, vix quidquam deprehendimus, quod a principiis iuris naturae sit alienum, quamquam haec ad praescindendas dirimendasque lites, quae inter homines sine lege viuentes facile oriri possunt, latius sunt exposita, & ad formam reipublicae, seu ad statum hominum ciuilem accommodata (1). Itaque legitime contrahunt paciscen-

- (1) Ita enim de Iure Lubecensi, vti in genere, quoad pacta, sic in specie quoad emtionem & venditionem iudicamus, nimirum, quod alia libero ciuium arbitrio, vti hominibus in statu naturali, sunt relicta, atque adeo Ius naturale in statu ciuili hodieque vigeat, alia vero ita Legibus determinata sint, vt liberum hominis arbitrium quiescat, & vnusquisque obligetur, ita actiones suas instruere, vt legibus sint conformes. Illuc refero liberam ciuium paciscendi facultatem, qua, vti in statu naturali res suas vendere seu alienare, etiam de pretio & traditione rei pariter atque solutione pretii, quicquid illis libet, statuere possunt. Vbiq; hoc patet ex dispositione Iuris Lubecensis, v. c. ex Lib. III. Tit. VI. Art. 1. Wann einer stehende Erbe auch Rente
ver-

ciscentes emtionem & venditionem, qui in corpore, nomine, substantia seu materia tam rei certae vendendae, quam pretii in numerata pecunia constituti (2), vel pure, vel conditionate (3) consentiunt

B 2

tiant

verkauft. Art. 5. Will denn sein Herr den Kauf nicht halten - - & porro: ohne des Herrn Wissen und Willen. Art. 8. Würde jemand Rente kauffen, der mag dieselben Rente vergeben, versetzen, oder verkauffen, und sonst damit thun und handeln, als mit andern Kaufmanns-Waaren. Art. 11. es wäre dann, ein anders unter ihnen bedinget und abgereder, & ex sexcentis aliis articulis, ubi voluntati & libero civium arbitrio relicta est, quidquid de rebus suis statuere velint. Huc vero nempe ad formam legalem spectant omnia, quae statum hominum civilem concernunt, & quorum omissione respublica seu societas perturbata foret v. c. Lib. III. Tit. VI. Art. 1. & 2. resignatio rei venditae publica, cuiusmodi praestatio, quatenus legibus est definita, art. 3. praescriptio rei emtae, art. 4. art. 7. limitata peregrinorum facultas emendi vendendique in utilitatem civium art. 8. restricta civium facultas vendendi annuos redditus, *Stads-Rente*, & sic porro, quae omnia liberum hominis arbitrium in emendis vendendisque rebus limitibus certis circumscribunt, & in definiendis iuribus paciscentium sollicitate ab illis, quae ab arbitrio eorum pendent, debent discerni.

- (2) Cui parer ex Art. 18. Tit. V. Lib. III. verbis: *von der Kauff-Summa zu bezahlen schuldig: das Kauff-Geld empfangen*, art. 15. *ibid.* was einer kaufft, mus er bezahlen, art. 9. *ibid.* für das Geld, darum die Rente verkauft worden, quae formulae dicendi numeratam pecuniam designant.
- (3) Modo conditio nihil insoliti continet, ut adimpleri possit, alias emtio & venditio rescinditur, uti pronunciatum est ab Ampl. Sen. Lub. anno 1584. Blasii: *Agor hat dem Reo etliche Güter verkauft auf condition, wenn der Kläger würde eine Begine oder eine Beginen Tochter zur Ehe nehmen, alsdenn sollte Beklagter ihm solche Güter so theur bezahlen. Reus ist gefländig, wenn nur Kläger würde beweisen, das die*

riunt (4), conueniuntque inter se de solutione pre-

die condition adimpleret, müſſe er der Handschrift Genüge thun. Decretum: Nachdem es eine ungewöhnliche Kauffmannſchaft iſt, ſo erkennet ein Rath dieſelbe von keinen Würden, und muß Beklagter die Güter oder den Werth davon dem Kläger wiedergaben, und der Kläger damit zufrieden ſeyn; Huc pertinent quoque, quamquam raro obueniunt, pactum de retrouendendo, quo venditor intra certum tempus oblato pretio ſibi retrouenditionem ſtipulatur, & pactum, quo venditor præferentiam præ aliis emtoribus in caſum alienationis rei venditæ ab emtore factæ, ſibi reſeruat, & quod Lubecenſibus das Kauffſtands-Recht vel Anſtands-Recht audit, ex condominio a primo acquirente ad poſteros translato vel conſanguineorum vel ſociorum iure oriundum, Ivs Lvb. Lib. III. Tit. VII. art. 1. 2. Hänſſche Schiffs-Ordnung de 1591. art. 54. & nihil aliud eſt, quam ſpecies iuris retractus Germanis frequentiffimi, atque a pacto illo protimiſeos Romanorum toto coelo differt, quàmquam peruerſa & inepta applicatio L. 75. D. de contrab. emt. & L. 14. C. de cont. emt. ad facta Germanorum, inſerto nouo Protimiſeos nomine, confuſionem peperit, ſiquidem noſtrum ius præferentiaæ pactitium nulla lege, Romanorum vero Ius Protimiſeos ceu libertati commerciorum aduerſum per L. 14. C. de contrab. emt. certo modo quidem ſublatum, ſed ſtatutis locorum vel conſuetudine ius retractus gentilitii in vſum redacta eſt, vt BRVNNEMANNVS ad h. l. annotauit. conf. MEYJVS ad cit. art. iur. Lub. SAM. STRYCKII Diſſ. de Diſferentiis iuris comm. & Lubecenſ. cap. XI. n. 32. ſq. in vſum mod. ff. Tit. de contr. emt. §. 16. & SCHILTER Exercit. 30. ad ff. §. 138. B. BOEHMERVS T. II. p. I. Rſp. 388. n. 5. & in Diſſ. de Fundam. dupl. retractus in agris Hamb. vſitat. LEYSER Sp. 143. med. 1. Perill. DE PVFENDORF T. I. obf. 133.

- (4) Requiritur autem, vt ſit conſenſus plenus, verus atque perfectus, qui colligitur, ſi pactum ſine ſcriptura celebratum fuit, ex arrhae datione per art. 6. Tit. VI. Lib. III. Iur. Lubec. Confer. Antiqua Iura Ripenſia de 1252. art. 66. in Illuſtriſſ. DE WESTPHALEN Monum. ined. Tom. IV. p. 2015.

(5)

tii (5), & traditione rei (6), quamquam & sine re nonnunquam valide emunt venduntque (7), modo paciscentes libera gaudeant rerum sua-

B 3

rum

(5) Vel pure Ivs LvB. Lib. III. tit. VI. art. 15. *Was einer kauft, mus er bezahlen*, conf. not. 2, vel conditionale, nimirum in diem, Lib. III. tit. V. art. 6. *was einer kauft von einem, auf eine gewisse Zeit zu bezahlen.*

(6) Loquimur hic de consensu paciscentium in traditionem rerum venditarum, non vero de actuali traditione, quae ad effectum emtionis & venditionis pertinet legibus determinatum. Si igitur statuunt, ut traditio rerum & solutio pretii in ipso momento fiat, atque rem alter tradit, alter pretium soluit, omne negotium ab emtore aequae, ac venditore, absolutum est; sin vero in diem & traditionem & solutionem constituunt, non obligatur prius venditor ad tradendam rem, emtor ad soluendum pretium, quam si dies venerit, vi pacti, secundum regulam, vti pactum est conuentumque, ita ius esto. Hinc, ni fallor, difficilis alias illa quaestio de periculo rei venditae, quae tantopere ICros vexauit, facile erit decidenda, nimirum, si res statim tradita sit, & postea perdit, sine dubio perit emtori, tanquam domino & possessori; si vero traditio in diem statuta sit, & ante traditionem perierit, periculum rei ad venditorem spectat, cui, si in diem rem promissam tradere nequit, non obligatur emtor ad soluendum pretium, sed pactum, perdit re, ad effectum peruenire nequit. Venditor etiam hoc casu emtori neque ad interesse, neque ad substituendam aliam rem obligatur, siquidem non aliam, quam rem casu perditam, emtori promisit, ad id vero quod interest, non tenetur, quoniam nemo casus fortuitos seu insolitos auertere neque hinc illos praestare cogi potest, neque praesumptio contra venditorem militat, ipsum sponte culpa vel dolo interitum rei suae vel procurasse, vel promouisse. Vnde consensus iuris Lubecensis & naturalis, quod dominium & periculum rei ex traditione seu possessione aestimat, erit in apico, vti clarius patebit, vbi infra de effectu emtionis & venditionis secundum Ius Lubecense agemus.

(7) An contractus spei antiquitus, apud Germanos in vsu fuerit, vix mihi

rum administratione (8) liberasque manus habeant. Quo pertinet a) distinctio iuris Lubecensis inter bona adquisita & hereditaria. Illorum dominio libero cum libera facultate alienandi vnusquisque gaudet acquirens (9); horum vero dominium adeo restrictum est, vt confanguineis,

hi persuadet paroemia, qua nostrates illudunt huiusmodi pactum incuntem; ita interrogando: *wer will up'n d'ven dunst koopn?* quisnam fumum emere velit? & responderetur, nemo nisi stultus vel mente captus. Ab hac emtione spei tamen differt, quam eruditi erronee dicunt emtionem spei, Mercatores contra, den *Speculations-Handel*, vbi pretium certum, res certa, & consensus vtriusque partis in corpore, nomine, & substantia, seu materia adest, & contrahentes certum temporis spatium vel trimestre vel sex mensium vel annale sibi stipulantur, intra quod emtori liceat, vel quouis die traditionem rei emtae postulare, vel poenitere, venditori autem incumbit, vt paratam semper mercedem habeat, certaue pecuniae summa, tanquam lucrum, ab emtore ab initio contractus soluta cedit, siue emtor rem emtam accipiat, siue poeniteat; si vero ipsam rem accipit emtor, pretium praeterea emtionis soluere debet. Ex hoc pacto periculum rei emtae vsque ad tempus traditionis ad venditorem spectat, ita vt, si eodem tempore rem venditam bis perdidit, obligetur aliam rem ex corpore, nomine, & substantia seu materia priori aequalem substituere, atque emtori desideranti tradere, &, nisi hoc fecerit, vel facere possit, obligatur emtori ad soluendum lucrum, quod ex merce emta capere potuisset, si traditio eius inseguta fuisset.

- (8) Nulla itaque ipso iure est emtio & venditio vxorum, aliud, quam linum telumue ad rei domesticae vsum sine mariti voluntate comparantium, per art. 13. Lib. III. Tit. VI. viduarum mercaturam non exercentium Lib. I. Tit. VII. art. 12. Lib. I. Tit. X. art. 1.; minorum, Lib. I. Tit. VII. per tot.; prodigorum, furiosorum, & mente captorum, tutorum & surdorum. Lib. I. Tit. VII. art. 6.; sine consensu curatoris vel tutoris contracta.
- (9) *IVS LV8*, Lib. I. Tit. IX. art. 2. & 4. & Tit. X. art. 3. Lib. III. Tit. VII. art. 2. Lib. III. Tit. VI. art. 8. 9.

guineis, qui in alienationem rerum immobilium haereditariarum non confenserunt, liceat iure retractus contra emtores extraneos intra annum & diem post traditionem rei immobilis vti (10). Eodemque iure retractus gaudet, cui venditor annum redditum *jährliche Rente* ex domo sua debet, ita vt venditor, qui sine eius consensu expresso domum vendiderit, poenam incurrat (11); *b*) famuli mercatorum vel serui mercenarii, qui sine effectu rem patroni vel domini sui citra eius consensum vendunt (12). Deinde vt legitime ineant paciscentes emtionem & venditionem, necesse est, vt Ciues sint Lubecenses, si de rebus immobilibus & annuis redditibus contrahunt (13). Haec & supra iam allata requisita emtionis & venditionis ita necessaria sunt, vt sine nullitate ab emtione abesse nequeant. Nihil enim emit venditque, qui vel in corpore, vel in nomine, vel in substantia rei non consentit, docente ita recta ratione. Apud Germanos itaque, si more maiorum (14) naturalem simplicitatem sequuntur &, prouti T A C I-

T V S

(10) vid. Illustr. DREYER I Diff. de restricta facultate alienandi bona hereditaria ad hered. mobilia non pertinente Iur. Germ. Hofsat. & Lubec. Ivs LVBEC. Lib. III. Tit. VII. art. 1.

(11) Ivr. LVB. Lib. III. Tit. VI. art. 19.

(12) Ivs LVB. Lib. III. Tit. VI. art. 5.

(13) Ivs LVB. Lib. I. Tit. II. art. 5. & Lib. III. Tit. VI. art. 8. venditio enim „bonorum immobilium & annui redditus extraneo facta, nullitate laborat.

(14) Quem hac in parte illustravit Vir Consultrissimus, cuius ac amicus aestumarissimus meus, Io. HENR. KIENMANN in Sect. II. dissertationis suae inauguralis superiori anno sub eodem praesidio, quo ego nunc vtor, publice hic defensae de *Debitore obaerato eiusque vidua s. vxore sese seruante per beneficium renuntiationis pactorum dotatum* ad Art. 1. Iur. Lub. Tit. III. Lib. I. & Art. X. Tit. I. Lib. III.

TVS (1) refert, *deliberant, dum fingere nesciunt, constituuntque, dum errare non possunt, vix contingere potest, ut quis in corpore, nomine & materia seu substantia erret. Interim quum huiusmodi pactum ob errorem ab alterutro commissum ex regula pro nullo habeatur, quoniam consensus deficit, arcamen error, utrum sit verus an simulatus, vincibilis an invincibilis, utrum culpa emtoris an venditoris commissus, vix diudicari a tertio quodam, praesertim Iudice, potest; hinc Ius Lubecense, subtilibus Iuris Romani distinctionibus posthabitis, normam generatim praescripsit (16), ex qua consensum pacifcentium tam in corpore, quam in nomine & in materia seu substantia rei, colligere, omnem vero defectum rei atque errorem ex noticia rei, quam sibi parare potuit emtor, dimetiri licet. Itaque, si emtor, priusquam rem emit, vel tactu, vel odore, vel auditu, vel sapore, vel oculis eandem examinavit, sese ab obligatione per emtionem venditionem contracta liberare nequit, quoniam, si errorem sua commisit culpa, eo in committendo semetipsum decepit. E contrario, si vitium rei adeo latet, ut sensibus humanis cognosci nequeat, vel res ipsa ita comparata est, ut eius materia seu substantia, vel qualitas, vel corpus non nisi ipsius rei destructione vel interitu cognosci potest, v. c. si quis vasa argentea bene inaurata pro auro emit, atque adeo in materia errat, vel res a venditore in loco obscuro vel in caaverna vmbrosa*

(15) de Moribus Germ. cap. XXII.

(16) Per art. 15. tit. VI. Lib. III. his verbis: *Kauf jemand, es sey, was es vor gut wolle, wenn er dasselbe zuvorn zur genüge besehen, da es kan besehen werden, solches mus er bezahlen; können aber die gebrechen mit menschlichen Sinnen nicht begriffen, und gleichwohl die waaren bernachmahls unrichtig befunden werden, soll man die Bezahlung dafür zu thun nicht schuldig seyn, unangesehen, daß der Käufer das Gut in seiner Gewehr gebracht.*

brofa ita posita est, vt oculis lustrari nequeat, & emtor interim bona fide emit, non obligatur ad soluendum pretium, etiamsi rem traditam acceperit. Atque hic locum sibi vindicat L. 43. §. 1. & 2. D. de cont. emt. (15).

§. VII.

Quibuscum ex asse fere quoad principia generalia, quae naturalis ratio inter omnes homines constituit, consentiunt Leges Romanorum, qui, sicuti IUSTINIANVS tradit, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utebantur (1). Itaque in iure Iustiniano non solum ius populo Romano proprium, sed etiam ius omnibus hominibus commune deprehendimus. Consilii ergo esse existimo, ad euitandam & corrigendam confusionem iurium, qua fora subinde laborant nostra, illud ab hocce separare, quo euidentius pateat, quidnam Iustinianus ex iure omnium hominum communi in corpus suum iuris Romani transfulerit, & quid sit illud ius populo Romano proprium, quod pro statu ipsorum publico plane a reliquarum gentium societatibus diuerso, in causis priuatorum omni vsu apud Germanos destituitur. Ex iure itaque, quod cum omnibus hominibus commune habuerunt Romani, referendus est procul dubio, quoad naturam emtionis & uenditionis, consensus contrahentium (2) tam in corpore, quam in nomine, & in substantia,

secundum ius Romanum

(1) Vsum hic insignem praestare potest, qui singulos sensus, & quae circa eos iuris sint, peculiaribus dissertationibus illustrauit, SAM. STRYKIVS in Tr. de *iure sensuum*.

(1) Instit. de *iure Natur. Gent. & Civ.*

(2) Instit. de *obligationib. ex consensu* L. 1. §. 2. D. de *cont. emt.* L. 2. §. 1. L. 9. pr. D. *ibid.* L. 12. D. *ibid.* verbis: *non quid ego existissem, sed quid ille, qui contrahit.* L. 13. D. *ibid.* L. 64. D. *ibid.*

C

stantia, seu materia rei, aequae ac pretii (3); deinde huc spectat pretium rei certum (4) & quidem in pecunia numerata, seu numero determinatum (5), solutio pretii & traditio rei venditae vel statim, vel in diem

(3) L. 9. D. de *contr. emt.* L. 12. D. L. 20. D. ibid. etiam emtoris arbitrio relictum sit, utrum ex duabus rebus unam eligere velit. L. 25. pr. D. de *contr. emt.* L. 35. §. 5. 6. 7. ibid. L. 40. §. 2. 4. 5. 6. ibid. L. 44. D. ibid. L. 57. 58. 59. 60. D. ibid. L. 63. §. 1. & L. 35. §. 8. D. ibid. L. 65. D. ibid. L. 71. D. ibid., neque dubitatur, si in qualitate rei dissentiant, seu errorem committunt, qui vel ex aestimatione rei ab emtore facta oritur, v. c. si deterius aurum fuit, quam emtor existimavit, vel virginem emere putat, quum esset iam mulier, quin emtio & venditio valeat per L. 10. & 11. D. de *contr. emt.* vel si error ab aestimatione rei & venditoris & emtoris oritur, si nimirum in qualitate uterque & in materia errant, v. g. inauratum pro auro habent, valet quoque emtio venditio. L. 14. D. ibid. quoniam in corpus consentiunt, nisi ante venditionem in rerum natura esse desierit, L. 15. pr. D. ibid. L. 45. D. eod. Quas perquam subtiles distinctiones Ius Germ. & in specie Ius Lubec. ignorat, atque adeo differt a iure Romano. Etenim si quis vas inaurata sciens pro auro vendit, vel acetum pro vino, hunc vocant Germani fraudatorem *einen Betrüger*, atque pactum ipso iure nullum est, & applicatio Art. XV. Tit. VI. Lib. III. Iur. Lub. locum habet. *wäre aber der verkäufer in dolo, so wird er darum billig gestrafft*, secundum Art. V. Tit. XII. Lib. IV. de falso. Si vero ex errore hoc factum sit, siue sit error ab emtore, siue a venditore, siue ab utroque commissus, omnis decisio causae pendet a dispositione Iuris Lubecensis, quam in §. 5. proposuimus atque adeo differentia Iuris Romani & Lubecensis erit manifesta.

(4) Infit. §. 1. de *emt. & vend.* L. 2. §. 1. D. de *contr. emt.* L. 7. §. 1. 2. L. 35. §. 1. ibid. alias emtio & venditio rescinditur per L. 37. D. eodem.

(5) Infit. §. 2. de *emt. & vend.* L. 1. §. 1. D. de *contr. emt.*

diem (6); porro ut certa sit res emta & vendita (7), quamquam & sine re certa emerint vendiderintque Romani (8), denique libera rerum venditarum administratio (9), atque dominium, cum possessione. Etenim notissimi quidem iuris est, apud Romanos rem bona fide emtam propter minimam causam inemtam non fieri L. 54. D. de *cont. emt.* eamque ob causam

(6) Loquimur hoc loco de consensu saltem contrahentium in solutionem pretii & traditionem rei, quatenus Romani in ipso contractu illam per consensum constituunt, atque adeo ad naturam emtionis & venditionis requirunt, ceu patet ex Leg. 6. §. 1. & 2. D. de *cont. emt.* L. 40. pr. D. ibid. eoque ipso cum iure Lubec. Ius Rom. confentit; non vero de solutione & traditione, tanquam effectu contractus, in quo ius Rom. & Germ. valde differunt, de quo infra. Romanos vero solutionem pretii ad naturam emtionis referre, patet ex L. 36. & 38. D. de *cont. emt.* quoniam tunc nulla venditio est, si, pretium donationis gratia non exacturum se venditor, promittit, e contrario, etiamsi donationis causa viliori pretio rem vendiderit, & certum hoc pretium soluitur, emtio valet. Nuda vero & imaginaria venditio pro non facta habetur, & ideo nec alienatio eius rei intelligitur. L. 55. D. de *contrab. emt.*

(7) L. 8. pr. D. eod.

(8) L. 8. §. 1. D. eod.

(9) Hinc pater & filius emtionem contrahere nequeunt, nisi de rebus castrensibus l. 2. ff. pr. de *cont. emt.* neque minor, qui sine auctoritate tutoris vendit l. 25. l. 26. ff. eod. nisi filius vel seruus suo nomine praesente domino vel patre emerit l. 12. ff. h. t. vel quoque sine tutoris auctoritate emens conditionem suam meliorem fecerit l. 28. ff. de *Pactis.* Neque tutor rem minoris emens valide contrahit l. 34. §. 7. ff. de *cont. emt.* Vti in genere ex officio, quod quis administrat, emere quid vel per se vel per aliam personam non licet per l. 46. & l. 62. ff. de *cont. emt.* Mandatarius vero, qui rem alienam alieno nomine vendit, recte contrahit l. 35. §. 3. l. 63. pr. ff. de *cont. emt.*

causam rem alienam quem distrahere posse, quoniam emptio est & venditio L. 28. D. *ibidem* atque in iudicio possessionis potior est possessor, quam dominus rei suae per L. 34. §. 4. D. eodem. Quum vero hoc ipsum iniquitatem quandam sapiat in republica, ut verus dominus vel ideo re sua careat, quod possessionem eius amisit, confugiebant Romani ad distinctionem inter bonam & malam fidem, tam respectu emtoris, quam venditoris possessoris, atque rem alienam mala fide emtam emtori auferri posse statuebant. L. 28. D. de *cont. emt.* L. 34. §. 3. *ibid.*; Sin vero bona fide res emta esset, ex iure antiquo res mobilis anno vno, res immobilis decennio, & iure nouo Iustiniano res mobilis triennio, res immobilis decennio, inter absentes viginti annis vsucapta erat, nulloque iure neque rei vindicatione emtor ad exhibendam restituendamque rem possessam & vsucaptam compelli poterat. Quanta vero sit differentia, quae hoc intuitu inter Ius Romanum & Lubecense, utpote has ambages spernens, intercedat, vnusquisque facile aestimabit, qui cum hac dispositione contulerit Iuris Lub. Articulum VI. Tit. I. Lib. IV. vbi nec bonae nec malae fidei possessor rem alienam vsucapere potest, sed iusto licet titulo acquisitam, vero domino reddere tenetur, pretiumque rei alienae emtae perdit, non obstante art. 1. Tit. 8. Lib. I. (quem MEVIUS in comm. explicat ex art. 17. Tit. 6. Lib. III. vnde prona est conciliatio textuum horum) atque praeterea ob suspicionem scientiae furti vel praesumptionem malae fidei ad euitandam poenam iuramento sese purgare debet. Emtori vero rei euictae & redditae licet venditorem ad praestandam euictionem compellere, ad quam eidem obligatur secundum paroemiam Iuris Germanici: Hand mus hand wahren, wo du deinen Glauben gelassen, da suche ihn wieder Lib. III. Tit. II. art. 1. §. 2. Illust. DREYER Samml. verm. abhandl. p 911. von *Bestimmung der treuen band.* Vnde fole clarius

clarius apparet, Ius Lubec. ad naturam emtionis necessario dominium verum referre, quum e contrario Romani nudam quoque possessionem rei venditae admiserint, modo res bona fide fuerit emta.

§. VIII.

Eo insigniores vero sunt differentiae Iuris Lubecensis & Romani, *Differentiae iuris Lubec. circa formam emt. venditionis.*
 formam si spectes emtionis & venditionis. Vti enim *deliberant Germani, dum fingere nesciunt,* quod ex TACITO tanquam singulare quid, & a moribus Romanorum alienum supra notavi, sic finitis deliberationibus, quibus mentem sibi inuicem de tractando negotio sufficienter declararunt, ad ipsam rem seu ad constitutionem vel nudum pactum accedunt. Id quod hodiernum Lubecae in vsu est, ceu patet ex communi & frequenti formula dicendi. v. c. *wenn er es noch hält, was er gestern gesagt hat, so will ich den Kauff schliessen.* Quo vero efficacius pactum celebretur, signa quaedam externa seu formam adiiciunt ad ostendendam consensum, traditionis, possessionis & solutionis manifestam fidem. Huiusmodi signa sunt arrhae datio in documentum perfecti contractus (1), tanquam vinculum, quo paciscentes non modo ad euidentiorem probationem, sed ad inducendam firmissimam stabiliendam obligationem vtuntur, ita vt, illa omissa, alterutri a pacto recedere liceat, etiam si in praesentia testium, vel per proxenetam publicum emtio & venditio facta fuerit, vti per consuetudinem obtinet, nisi paciscentes contractum mediante scriptura celebrauerint, vel alteruter contractui iam satisfecerit (2): complexio manuum, ad designandam futuram traditionem rei emtae

(1) Lib III Tit. VI. art. 6. Illust. DREYERI dissert. de differentiis iuris Rom. & Germ. in arvis emt. p. 5. n. e. & ibid. citat. Docum.

(2) Acquiratur enim Denarius St. Spiritus seu Arrha Merciporui dem Weinkauff in COD. IUR. LVB. de. ao. 1266, apud Ill. DREYER

emtae (3): computatio seu *Mercipotus*, vulgo der *Weinkauff* pro corroboranda fide (4): traditio clauium horrei, domus, & reliqua, quae singula colligere nimis longum foret (5). Hisce, siue res mobiles siue immobiles emantur & vendantur, vtuntur symbolis. Quibus & alia forma accedit, qua vel sola scriptura sine testibus vel hisce subscriptis, vel sine scriptura in corona testium emtio fit & venditio (6). Interdum etiam per proxeneta publicum emunt venduntque, qui vices testium sustinet.

Prae-

RVM *Saml.* v. Abh. p. 464; & in IVRIB. ANTIQ. RIPENSIB. de ao. 1252. art. 66, in de WESTPHALEN *Monum. ined.* Tom. IV. p. 2015. aestimatur ex arthae datione eiusque repetitione ante contrahentium discessum efficacia obligationis contractae. Idemque obtinet in IVRE LVBEIC. per art. 6. Tit. VI. Lib. III. si enim data archa, eademque in continenti & priusquam paciscentes discedant, *ebe sie sich scheiden*, reperita vel reddita, poenitere liceat, sequitur, vt, si arthae nomine nihil interuenerit, non constet de voluntate paciscentium: vtrumne ex causa poenitentiae arthae datio intermissa fuerit? ergo vtuntur Germani arthae datione ad inducendam obligationem; sin vero alteruter pacto satisfecerit, nullum dubium est, quin sine arthae datione rite ac legitime celebrata sit emtio & venditio per art. XVIII. Tit. 6. Lib. III. Iur. Lub. verbis: *würde aber der Verkäufer das Kauff-Geld empfangen - - so mus Kauff Kauff bleiben.*

- (3) IO. LOCCENIUS *Antiq. Sueo-Goth.* p. 79. & 80.
 (4) Illust. DREYERI *Diff. de arbis emtionum* p. 18. n. r. fgg.
 (5) vid. HEINECCI *Elem. Iur. Germ.* Lib. II, Tit. III. §. 77. p. 427. fgg.
 (6) Ill. DREYERI *Diff. de usu Iur. Anglo-Saxon. in explic. iur. Cimb. & Saxon.* p. 120. n. 67. p. 163. n. 108. & *Diff. de differentiis Iur. Iur. Rom. & Germ. in arbis emtion.* p. 42. not. ff. CODEX IVR. FRISIGI BOREALIS de 1426. art. 10 in Ill. DREYERI *Samml. verm. Abb.* p. 478. STAT. RIGENSIA de 1270. art. VI. apud PUFENDORF *Obs. I. V.* Tom. III. p. 225.

Praeterea in emtione venditione rerum immobilium additur traditio festucae seu glebae ad probandam possessionem rei in emtorem translatae (7). Accedit quoque publica, in confessu Senatus, & in praesentia populi, seu Civium, resignatio, qua non modo venditor ius sibi in praedium vel vrbatum vel rusticum competens per complexionem manuum in emtorem transfert, & hoc ipso vaeuam possessionem designat, Consul vero dirigens viua voce iubet, vt hoc ita factum, in publicum Ciuitatis librum, quem vocant *das oberste Stadt-Buch* (8) referatur, sed haeredes etiam, si forsan vel emtor vel venditor, antequam resignatio ad publicum Ciuitatis librum notetur, diem obiit supremum, actum resignationis repetere tenentur (9). Facta ergo resignatione publica & venditor & emtor ad publicum Ciuitatis librum comparere debent, & Protonotarius in eorum praesentia titulo emtionis adnotato, rem venditam a venditoris nomine in emtoris nomen transcribit (10). Hac solennitate intra annum & diem a tempore initi contractus neglecta, emtio & venditio nullitatis vitio laborat, ita quidem, vt neque priuata,

ne-

(7) IDEM de *usu iur. Anglo-Saxon. in explic. Iure Cimbr. & Saxonico.* p. 112, not. 58.

(8) Traditionem rer. immob. in conspectu totius populi seu in Placito maiorum generali peractam fuisse, ex documentis constat, quae III. DREYERVS in *Libr. de usu iur. Anglo-Saxon. in explic. Iur. Cimbr. & Saxon.* p. 111. n. 57. & 58. exhibet. Addantur *Institia Lubec.* in de *WESTPHALEN Monum. ined.* Tom. III. p. 623. *Ius Lub.* Lib. III. Tit. VI. art. 1.2. *für dem sitzenden Rathe verlassen werden.*

(9) *Ius Lub.* Lib. III. Tit. VI. art. 2.

(10) Sequenti fere formula vernacula: *Hesse NN, sien Hus am Marckre zwischen N. un N. belegen, an N. N. vor dem sitzenden Rade verlaaten, un hesse de Rath beeten, em dat Hus so schriben.*

neque publica Instrumenta contra supremum Ciuitatis librum probent (11), quamquam ex hoc neglectu, ante elapsam annum & diem neque venditori, neque emtori exceptio nondum factae resignationis iudicialis, atque hinc nondum translati domini competit (12).

§. IX.

*Et Iur. Ro-
mani.*

Ab hac simplicissima & fidei publicae aequae, ac priuatae, maxime consentanea emtionis venditionis forma, Romanorum differunt placita, qui nimium ingenio indulgentes artificiosum quidem ius pacta nuda excogitando introduxerunt. Quod enim Germani sub deliberationum nomine absoluunt, & postea consiliunt pacto contenti, id ex inuerso Romani egerunt. Prius enim constituerunt, postea deliberarunt. Illud per contractum ipsum, hoc vero per pactum contractui adiectum. Vnde magna differentia Iuris Romani & Germanici in ipsa forma conueniendi obuersatur. Ipsum vero contractum tanquam titulum Romani perficiebant per commune omnium obligationum adstringendarum vinculum, stipulationem nempe, qua per praescripta verba solennia rite ac legitime pronuntiata (1) voluntatem sibi contrahentes inuicem declarabant. Accedebant quoque nonnunquam symbola, veluti arrha & clauium traditio, sed illa respectu denominationis aequae, ac computationis in pretium, a Iure nostro erant diuersa (2). Vti &

non

(11) *Iur. Lab. Lib. V. Tit. VI, art. 1.*

(12) Vid. Illustriss. quondam CANCELLEARIUM de WESTPHALEN *Monum. ined.* in Praef. Tom. III. p. 121.

(1) Quorum copiam collegit BARNAB. BRISSONIVS *de formulis & solennib. populi Romani verbis* L. VI. p. 466. sqq.

(2) Ill. DREYERII *Diff. de differentiis Iur. Rom. & Germ. in arrbis emtion. Different. 1. & 2.*

non ad inducendam obligationem data fuit, sed vt evidentius probari posset, conuenisse partes de pretio; quid? quod datis licet arrhis ab emptione recedere licebat (3). Clauium vero traditio tunc demum naturam symboli induebat, si apud horrea traditae fuerint (4), quam procul autem ab horreo abesse debeant contrahentes, ne haec traditio natura symboli destituatur, definitum quidem non est, facile tamen est ad intelligendum, sufficere, si modo horrea vel praedia quaecunque vendita hac ipsa traditione vel propius, vel e longinquo demonstrari queant (5). Tabulas praeterea venditionis interdum conscribent, & signabant, ad signandum quoque amicis advocatis (6). Ad acquirendum denique rite legitimeque rerum emtarum dominium ciuile, insignis erat distinctio rerum priuatorum in res nec mancipi & mancipi (7). Illarum, quae vel mobiles vel immobiles esse poterant, scilicet praedia prouincialia, omnesque res mobiles, quae ad praedium pertinent, dominia sola traditione (8) acquirebantur. Res vero mancipi, quae itidem vel mobiles vel immobiles erant, nimirum praedia vel urbana vel rustica, in Italico solo sita, cum rebus ad ea pertinentibus, veluti iura, pecora, serui, acquirebantur solenni Mancipationis ritu per aes

&c

- (3) L. 35. pr. ff. de contr. emt. Inst. pr. de emt. & vend. L. 17. C. de fide instrum.
 (4) L. 74. D. de contrab. emt.
 (5) Vid. SCHAVMBURG de Tradit. Symbol. & conf. DANREVTHER in Diss. inaug. de Translat. iuris symbol. ex vario itemque ex iure Norico.
 (6) BRISSONIVS l. c. p. 487. LXII.
 (7) IDEM l. c. p. 488. HEINECCI *Antiq. Iur. Rom.* Lib. II. Tit. I. §. 17. & ab eo hanc in rem laudatus BYNKERSH. de Rebus mancipi & nec mancipi.
 (8) IBIDEM l. c. Lib. II. Tit. I. §. 26.

D



& libram cum libripende, per quinque testes & antestatum (9). Vtraeque praeterea & res mancipi & nec mancipi hanc formam communem habebant, ut earum dominium etiam per cessionem in iure acquireretur, qua emptor, vel apud magistratum Populi Romani, vel apud Praetorem, vel Praesidem provinciae rem emptam vindicabat, venditor cedebat, & Praetor addicebat (10). Hac vero distinctione inter res mancipi & nec mancipi a IUSTINIANO licet sublata per L. vii. de iure Quiritum tollendo, remanserunt tamen vestigia nonnulla solennitatum seu formae emtionis & venditionis, ut sine cognitione horum ceterorum Ius Romanum vix intelligi queat (11), siquidem Imperator ait: in emtionibus & venditionibus, quae sine scriptura consistunt, nihil ab ipso innovatum esse (12). Interim nihilominus videtur Iure suo nouo antiquam illam formam emtionis sustulisse, eorumque loco diuisionem rerum in corporales & incorporales, iterumque corporalium in mobiles & immobiles & sese mouentes, & quoad formalia arrham saltem emtionis & venditionis & tabulas seu instrumenta, vel per tabellionem, vel manu propria contrahentium conscripta, auctoritate sua munuisse. Licet igitur Ius Iustinianum cum nostro iure quodammodo consentiat, vix tamen quisquam, hanc formam emtionis externam ex Latia in Germaniam migrasse, sibi persuadebit. Quin immo ex antiquitatibus Germanorum apparet, omnia emtionis solennia, quae hodiernum in usu sunt, prius a maioribus, neque litterarum (13), neque

fym-

(9) BRISSONII *Select. Antiquit. Iur. Civil.* Lib. I. c. VII. p. 17.

(10) HEINECCIUS *Antiq. Iur. Rom.* Lib. II. Tit. I. §. 23. Conf. BRISSONIVS *de formulis* p. 357.

(11) FRANC. HOTTOMANNI *Antitribonianus* c. V. p. 116.

(12) *Instit. pr. de emt. & vend.*

(13) Illustr. DREYERVS in lib. *de usu Iur. Anglo-Saxon. in expl. iur. Cimbr. & Saxon.* p. 163, n. 108.

Symbolorum (14) plane ignaris frequentata fuisse, quam'ius Romanum illis innotuerit (15). Et valde erraret, qui, quod sub arrhae nomine in Institutis dispositum legit, hoc etiam Lubecae valere existimaret, per supra dicta. Reliqua vero solennia emtionis Germanorum, tanquam veri iuris germanaeque iustitiae solidam & expressam effigiem, nimirum manuum complexionem & computationem, qua toties fidem promittunt repromittuntque, quoties emunt venduntque, frustra quaeris apud Romanos, umbram saltem & imagines iustitiae tenentes, uti M. T. CICERO (16) de suis conqueritur, illa aurea: *Vt inter bonos bene agier oportet & sine fraudatione* ipsis commendans, atque astutias, quas paulo ante (17) maioribus suis non placuisse dixerat, tollendas suadens.

§. X.

Quod ad effectus demum rite ac legitime initaе emtionis & venditionis atinet, dispiciendum est prius, quid venditor, postea, quid emtor praestare teneatur. Non facile enim ab emtione & venditione apud Germanos recedere licet, secundum paroemiam: *Kauf mus Kauf bleiben* (1). Venditor obligatur ad rem vel immobilem vel mobilem

*Effectus emt.
& vend. iuris
Lubeca*

D 2

vel

- (14) EBERH. OTTO de *Iurisprud. Symbol.* IOH. GVIL. HOFFMANN de *Iurisprud. Symbol. vet. Germ.*
- (15) Vti ex monumentis Gothorum, Anglo-Saxonum aliarumque Germaniae gentium ab III. DREYERO in *Dist. de arrhis emtion. ad Differ.* I. p. 1. 197. miranda certe industria & eruditione collectis abunde apparet.
- (16) De officiis Lib. III. c. 17. §. 9. & II.
- (17) In fine capituli 16. ibid.
- (1) IUS FRISONVM art. 2. in Perill. PVFENDORFII obf. I. V. Tom. III. app. p. 79. n. 2. *Dit is ock Fresche Rechts dat alle Koffte Koep vasse blyven und holden.*

se se mouentem (2) pacto promissam in eadem qualitate (3) & quantitate (4),
qua

- (2) Summam hanc rerum diuisionem Iuris nostri differentiam parere in praestationibus venditoris, neminem fugit. Alia enim est dispositio de rebus immobilibus art. 19, Lib. III. Tit. VI. alia de mobilibus art. 7. & art. 15. ibid. alia de rebus sese mouentibus art. 14. & 17. quamquam commune aliquid habent sc. in euictionis praestatione.
- (3) Omnes res emtae in dubio praesumuntur bonae, MEYERVS ad *Ius Lubec.* Lib. III. Tit. XV. n. 11. & qualitas naturalis praeualet accidentali, magisque attendi debet. Sub qualitate rei immobilis intelliguntur omnia, quae aedificio vel praedio urbano vel rustico cohaerent & partem rei immobilis consociunt, vid. Illust. DREYERII *Diff. de restricta facultate alienandi bona hered. ad mobilia hereditaria non pertinente* p. 57. not. b. Qualitas rei mobilis venditae, quo pertinent merces *Kauffmanns - Güter*, *Waaren*, diiudicatur, emtore venditori litem huius rei causa mouente, ex articulo XV. Lib. III. Tit. VI. de quo supra §. V. egimus. Si vero vterque & emtor & venditor vitium rei latens ignorarint, litem huius rei causa ortam diiudicant Lubecenses ex artic. XV. & artic. XI. Tit. VI. Lib. III. nimirum, si vitium rei adeo lateret, vt sensibus humanis cognosci nequeat, emtor pretium rei soluere non tenetur, etiam si rem traditam acceperit per art. XV. Si vero ex negligentia & emtoris & venditoris ita factum est, vt re tradita vitium rei lauerit, postea detectum fuerit, emtor soluere tenetur, iurante venditore, se vitium rei ignorasse; sin autem res vendita nondum tradita fuerit, emtor non tenetur ad seruandum pactum. p. art. XI. Qualitates denique rerum sese mouentium recensent articuli XIV. & XVII. ibid. Venditio enim pecoris immundi & morbo quodam contaminati ipso iure nulla est, per art. XIV. Vicia equorum, quae venditor praestare tenetur, *wofür er die Gewehr leisten mus*, sicut art. XVII. Omnia vero reliqua vicia, quae vel ex aetate, vel ex forma, vel ex structura corporis interna oriuntur, diiudicantur per art. XV. ibid.
- (4) Quantitas rerum aestimatur ex numero, mensura & pondere, vt dicunt, *Zaahl, Masse und Gewicht*, vid. art. 1. Tit. XII. Lib. IV. I. L.

qua id promissum fuerit (5), emtori tradendam (6) & euictionem rei ad annum & diem praestandam (7). De qua euictionis praestatione Ius nostrum ubique loquitur per verba *Webren* & *Gewebren* (8). Quorum significatus suppeditat rationes, cur periculum

D 3

rei

- (5) Hinc facile patet, & qualitatem & quantitatem pacto determinari posse & debere, atque emtorum, si vitium rei sciuerit vel sensibus cognoscere potuerit suoque adeo periculo rem vitiosam scienter emerit, omne quoque periculum rei ex hoc vitio oriens suscipere & nihilominus ad solutionem teneri, nisi venditor in dolo fuerit per art. 15. Lib. III. Tit. VI. I. Lub.
- (6) Ceu patet ex vulgato illo, pacta sunt seruanda, Germanice: *wat eenen Iover, dat moët be holden*. SAT. RIGENSIA de 1270. art. 69, in PUFENDORFII Obs. I. V. T. I. p. 246. IUS PROV. SAXON. Lib. I. art. 7. edit. GAERTNER. p. 32. IUS LVB. Lib. III. Tit. VI. art. VI. *alles Gut, es sey was es wolle, soll dem Käufer gewehret werden*. Art. 18. *Was einer verkaufft an unbeweglichem Gute, das ist er dem Käufer zu gewehren schuldig*. Quae verba *webren* & *Gewebren* latius patent, quam Romanorum euictio, & hoc loco traditionem rei designant, quasi dicas: *in des Käufers webre liefern, in seine Gewebre geben*.
- (7) De hac euictionis praestatione rerum mobilium & immobilium vide sis art. IV. & XII. Tit. VI. Lib. III. IUR. LVBEC. Omnis vero euictionis praestatio Germanica pendet ab Interpretatione & significato verborum *webren* & *gewebren*, quae a perantiquo vocabulo *Webre* descendunt, de quo statim agemus.
- (8) Haec verba oriuntur aut a Gothorum *Wargan* prohibere, a Saxon. *Wergian* & *wergan*, arcere, prohibere. Alamannis *webren*, Belgis *weeren*. vid. IUNII Gloss. Gothicum h. v. p. 394. Vnde Gothorum *Wair*, vir, Anglo-Sax. *weer*, vir. IUNIVS l. c. p. 388.; aut a Gothorum *Wardgan*, custodire, *Weard* custos, custodia, vnde Alamannorum *warren* obseruare, custodire, *Wart* custos. Vti ergo & significatu & scribendi ratione utraque verba Gothica *Wargan* & *Wardgan*

gan

rei venditae, de quo nunc secundum Ius Lubecense erit differendum,

non

gan parum differunt, qui enim custodit rem quandam, custodiendo prohibet, ne vis fiat rei custodiendae, sic quoque utriusque verbi significatum verbo nostro *wehren* convenire existimo. Id quod vocabulum nostrum *Wehrsmann* probat, secundum formulam dicendi: *iek bin dien Wehrsmann*, ego sum vir custos, vel custos prohibens rei tuae. Unde nostrum *Weehrt*, custos rei suae, dominus, *Husweertb* custos domus suae; vti & *die Wehre* non modo pro ipsa domo, seu territorio vel pro possessione tractus terrae & dominio rei obuenit in vocabulis *Landwehre*, *Stadtwehre* & q. s. rel. sed etiam pro propugnaculo forti atque securo in carmine illo heroico Beati nostri LUTHERI: *eine veste Burg ist unser Gott, eine gute Wehr und Waffnen* & in vocabulo *Brustwehre*. Omnium optimam descriptionem *wehre* Tacitus nobis suppeditat in c. 16. *de mor. Germ.* sic aiens: *ne pati quidem inter se iunctas sedes - - - Vicos locant, non, nostrum in morem, connexis & cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sine adversus casus ignis remedium, sine inscitia aedificandi.* Huiusmodi domus spatio vel quoque propugnaculo circumdata, vocabatur *die Wehre*, ceu patet ex perantiquis chartis & Statutis, vbi sequentes formulae dicendi obveniunt: *tho der Wehren gahn*, *tho der Wehren then* cet. IUS WURATO-FRISICVM art. 16. in PYENDORFII Obs. Iur. V. Tom. III. p. 67. Omnia itaque bona & mobilia & immobilia & sese mouentia, quae ad dominum possessorem huiusmodi domus pertinebant, dicebantur: *dat se tho der Wehren geboren*, vel quoque: *dat se in der Wehre sind*. vid. III. DREYERII *Samml. v. Abb.* p. 93. *von den Kindern die in der Wehre sind*, per tot. Itaque, si Statuta venditori mandant: *das er das verkaufte gut dem Käufer gewehren solle*, haec verba aliter non sunt intelligenda, quam ut venditor rem venditam in custodiam emtoris transferat, atque tanquam custos rei suae emtori tradat, rei que traditae dominium atque possessionem arcendo prohibendoque ab iniuria euincens securam reddat. Inuoluit itaque verbum *gewehren* duas notiones: traditionem

ditionem

non emtori, sed venditori imputetur (9). Si enim pacifcentes tempus

ditionem nempe in custodiam emtoris: deinde euictionis praestationem. Primam notionem sinit articulus 18. Tit. VI. Lib. III. IUR. LVN. qui de traditione saltem rei immobilis loquitur, non vero de euictionis praestatione; hanc vero euictionis nimirum praestationem deprehendimus in art. 2. eod. Quae cum ita sint, magna differentia inter nostram *Warandiam*, vid. G. I. VOSSIVS *de vitis sermon.* p. 334. & Romanorum euictionis praestationem erit in aprico. Romani etenim euictionem prius non praestabant, quam ipsa re euicta. Germani vero non modo re nondum euicta custodiam rei & prohibitionem a venditore contra petitorum rei desiderabant, sed etiam re nondum tradita venditori periculo suo custodiam rei venditae per ipsum verbum *wehren*, *gewehren* imponunt. Hoc testatur inter alia IUS PROV. SVEVICVM c. 47. §. 2. *hab ich sein gebüet, als ich von recht solt, custodiam nempe rei venditae nondum traditae ipso iure venditori incumbere.* Si vero idem IUS SVEVICVM periculum rei ad emtorem spectare asserit, confusio inde Iuris Romani & Germanici elucet. Quamdiu itaque venditor rem venditam possidet, *in seiner Gewehr hat*, tam diu qualemcunque rei custodiam praestare tenetur. Tradita vero re, *in die Gewehr des Käuffers gebracht*, custodia & cura rei ad emtorem spectat. Quoniam ergo venditori omnis custodia rei nondum traditae, imo quoad titulum possessionis rei traditae incumbit, hinc IUS PROV. SAXON. Lib. III. art. 83. hanc custodiam, quam venditor quoad titulum possessionis emtori praestare tenetur, ad dies vitae venditoris; IUS vero LVBECENSE ad annum & diem a tempore traditionis computandum extendit. Quae custodia rei a venditore praestanda, postquam Ius Romanum Germanis innotuit, euictio dicta fuit.

- (9) De Periculo rei venditae leges nostrae per verba saltem *Wehren* & *Gewehren* loquuntur. Ex quorum interpretatione, quam dedimus, facile patere puto, quid secundum Ius Lubec. de periculo rei venditae statuendum sit. Nimirum quoniam venditor ad custodiam rei

VEN.

pus traditionis vel plane non definierunt, vel obscure, non statim recurrendum

venditae ipso iure vsque ad traditionem tenetur, hinc periculum quoque rei venditae & nondum traditae non emtoris est, sed venditoris. Id quod testantur antiqua STATUTA RIGENSIA art. 84. & 85. in PVFEND. Obs. I. V. p. 249. quae emtorem ad soluendum pretium prius non obligant, quam ipsa res emta tradita sit, & IVS LVBEC. quod in omnibus fere contractibus possessionem rei litigiolae respicit. Ita enim in commodato periculum commodatarius tanquam possessor rei suscipere tenetur per art. 1. T. II. Lib. III. verbis: *oder bezahlen nach seiner wärde, wann es verlobren wäre; in deposito depositarius periculum depositi praestat, nisi mediante iuramento summam diligentiam in custodiendo deposito, vel iacturam rei suae vna cum deposito factam probet. In pignore constituto diiudicant Lubecenses ius pignoris ex constituta possessione rei pignori datae per art. V. T. IV. Lib. III. & periculum pignoris possessoris est, cui pignus traditum fuit, vid. III. HAEBERLINI Praeceptoris mei aeternum colendi Stat. Susat. latina p. 26. art. 26. & 27. Neque Fideiussor periculum rei suscipere tenetur, quoniam non est possessor, nisi per pactum expressum sese obligauerit per art. 1. Tit. V. eod. In contractu locationis periculum rei, quod ex neglecta *Warandia, Verwahrlosung* ortum est, conductor tanquam possessor rei suscipere debet, per art. IV. Tit. VIII. eod. Vei etiam obligationem conductoris ad soluendum locarium rei casu perditae ex possessione rei conductae Lubecenses diiudicant per art. I. eod. In societatibus periculum & commodum rei ex compossessione & condominio aestimatur per art. III. Tit. IX. eod. Sic quoque in emtionibus & venditionibus periculum rei non ad emtorem, sed ad venditorem pertinet per expressum articulum XII. Tit. VI. Lib. III. quo venditor vel ad *trahendam* emtori rem venditam vel ad soluendam decimam partem pretii obligatur: *das ist er dem Käufer zu gewehren oder den zehenden Pfennig von der Kauffsumma zu bezahlen schuldig. Nisi emtor iam possessor sit domus venditae: oder auch der Käufer das Haus darauf befahren würde, vel venditor pretium emtionis acceperit, oder der*
Ver-*



dum est ad effectum LABEONIS (10), *obscuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quam emtori, quia potuit re integra apertius dicere, sed leges nostrae ex consuetudinibus maiorum natae & haud obscurae subueniunt contrahentibus ad lites praescindendas.* Re itaque tradita emtor obligatur venditori ad soluendum pretium vel statim vel in diem in eadem moneta, qua illud promissum fuerit & vtrique oritur actio ex pacto (11).

§. XI.

Seruata licet forma (1) contractus emtionis & venditionis apud *Iuris Romanos*, nil tamen impediēbat, quo minus ab eo recedere liceret, *mani.*

non

Verkäufer das Kaufgeld empfangen würde; ex qua solutione pretii emtionis, translatio possessionis & traditio colligitur. De periculo rei venditae mobilis notissimi Iuris est Lubecae, venditorem illud suscipere teneri. Plerumque enim in contrahendis negotiis & tempus traditionis determinare solent paciscentes sub nomine der Ablieferung. Et vstitata est formula: Ob Käufer bey der Ablieferung selbst gegenwärtig seyn, oder jemanden dabey bestellen wolle. A quo tempore periculum quoque rei venditae & traditae aestimatur.

(10) In l. 21. ff. de contr. emt.

(11) IVS LVBEC. Lib. III. Tit. VI. art. XV. *Kaufe iemand, es sey was vor gut es wolle - solches mus er bezahlen* & art. XXI Conf. STAT. FLENSB. de a. 1284, art. 128. In de WESTPHALEN monum. ined. Tom. IV. p. 1941. Et si ad tempus solutio promissa & statuta fuerit prius, quam dies venerit, neque soluere, neque fideiussores, si res tradita fuerit, solutionis causa dare tenetur, nisi emtor aere alieno grauatius suspicionem fugae exciter. COD. IVR. HAMB. de 1270. Cap. 6. art. 23. in de WESTPHALEN mon. ined. tom. IV. p. 3002. STAT. STAD. de 1279. in PVEND. Obs. I. V. tom. I. p. 196. RIGENS. de 1270. art. 80. ibid. Tom. III. app. p. 248. IVS LVBEC. hod. Lib. III. Tit. V. art. VI.

(1) Si enim contrahentes voluerunt, vt forma quaedam contractui adiciatur, non aliter perfecta est venditio, nisi illa seruata, *Inst. pr. de emt. & vend.*

non quidem alterutro contrahentium inuito (2), etiamsi venditor duplum emtori offerret pretium (3), sed vel contrario consensu (4), reddito eo, quod arrhae nomine datum est (5); vel nuda conuentione, si res secuta non fuerit (6), alias enim actus priori similis retro agens requiritur (7), modo res ipsa non perierit, quoniam emtori perit & actio manet (8); vel nouatione, si eadem res pluris minorisue inter contrahentes iterum emta & vendita est, modo alteruter antea contraui nondum satisfecerit (9), neque posteriori emtione sub conditione emitur, quod antea pure emtum est (10); vel acceptilatione, si emtor venditori acceptum fecit (11); vel poenitentia vnus ex pacto displicentiae (12); vel si pretium ad diem promissum, sub pacto, vt res inemta fieret, si pretium non soluatur, non fuerit solutum (13); vel ob dolum venditoris ex calliditate eius aut infidiis arguendum (14); vel ob dolum emto-

(2) *Inst. pr. de emt. & vend. l. 3. Cod. de rescind. vend.*

(3) *L. 6. & 7. Cod. de rescind. vend.*

(4) *L. 3. ff. de rescind. vend. & quando licet ab emt. disced. l. 1. Cod. quando licet ab emt. disced.*

(5) *L. 2. Cod. eod.*

(6) *L. 5. §. 1. ff. de rescind. vendit.*

(7) *L. 1. Cod. quando licet ab emt. disced.*

(8) *L. 5. §. 2. ff. de rescind. vend.*

(9) *L. 2. ff. de eod.*

(10) *L. 7. pr. ff. eod.*

(11) *L. 5. ff. eod.*

(12) *L. 6. ff. eod.*

(13) *L. 10. ff. eod.*

(14) *L. 8. pr. Cod. eod. propter minimam vero causam inemta fieri non debet res alias bona fide vendita l. 54. ff. de contr. emt. v. c. si aurum qui.*



promissa fuerit (18), emtori obligetur (19), & ad euictionem praestandam (20) non minus, quam ex redhibitoria (21) & quanti minoris (22) aetione teneatur. In eo vero dissentiunt, quod, quamuis venditor ante traditionem rei adhuc ipse dominus sit (23), periculum tamen rei venditae & nondum traditae ex Iure Latii ad emtorem, non ad venditorem spectet (24), nisi illis in rebus, quas per mensuram venditores admetiuntur,

(18) Ambigua vero promissione contrahentium, id sequendum est, in quod uterque consentiunt. Si itaque decem pondo olei, quod natum esset, stipulantur & quinque saltem colliguntur, emtor non amplius, quam quod natum est, petere potest l. 39. §. 1. ff. de contr. emt. periculum enim rei ad emtorem spectat l. 40. §. 3. ff. eod. nisi casus quoque fortuitos venditor susceperit l. 78. §. 3. ff. eod.

(19) Instit. §. 1. de emt. & vend. verbis; & res tradatur & emtio ad effectum perducatur, ita tamen, ut in traditione quoque dolus malus venditoris absit l. 68. §. 1. & 2. ff. de contr. emt.

(20) L. 66. pr. ff. eod. l. 1. ff. de euict. & duplae stipul.

(21) L. 1. ff. de aedilitio edicto & redhibet. & quanti minoris,

(22) L. 1. ff. eod.

(23) Ob dominium enim venditor vindicationem rei & conditionem v. c. serui fugitiui emtori exhibere debet. Institur. §. 3. in fin. de emt. & vend. Hasce ambages ignorat Ius Lubecense, dominium rei venditae, licet pacto venditionis restrictum, venditori quidem usque ad traditionem reseruans, hic vero neque vindicationem neque conditionem exhibere debet emtori, quoniam venditor periculum vna cum custodia rei venditae ipso iure subire tenetur per supra probata.

(24) Instit. §. 3. de emt. & vend. etiamsi res per auersionem, (cuius formulas exhibet BARN. BRISSONIVS de formulis p. 52, & 85.)

emta

tiuntur, quorum periculum vsque ad traditionem ad venditorem pertinet (25); Vti commodum quoque eius esse debet, cuius periculum est (26). Emptor e contrario obligatur ad soluendum pretium emtionis (27), vel in numerata pecunia (28), vel quo alio modo (29), & quidem vel statim in ipso contractu, vel in diem (30), aliter enim res vendita non fit accipientis (31). Ex qua mutua obligatione contrahentium oritur emptori actio emti; venditori actio venditi (32).

§. XII.

Non omnem quidem ambitum emtionis & venditionis me absol- *Epilogus.*
viffe, video, sed haud pauca superesse, quae ad probandum consensum

E 3

aeque

emta sit l. 62. §. 2. ff. *de contr. emt.* Sub hac tamen limitatione, si venditor sit in dolo, aut culpa, vel ad casus fortuitos sese adstrinxerit l. 78. §. 3. ff. eod. vel custodiam rei susceperit. Talem vero custodiam praestare tenetur, qualem bonus paterfamilias rebus suis adhibet l. 35. §. 4. ff. eod.

(25) L. 35. §. 7. ff. *de cont. emt.* In rebus enim per mensuram admetiendis tunc demum contractus perficitur, cum adnumeratae, admensurae, adpensaevae sint l. 35. §. 5. & l. 34. §. 5. eod.

(26) Infit. §. 3. *de emt. & vend.* l. 40. §. 3. ff. *de contr. emt.*

(27) L. 78. §. 2. ff. eod.

(28) Infit. §. 2. eod.

(29) Consentiente tamen venditore l. 53. ff. *de contr. emt.* l. 54. *de solution.*

(30) L. 70. *de solution. & liber.*

(31) L. 19. l. 53. ff. *de contr. emt.*

(32) Infit. §. 1. *de emt. & vend.* l. 1. ff. l. 1. Cod. *de act. emt. & vend.*

aeque ac dissenſum Iuris Lubec. & Romani facere poſſunt. Ne vero limites Diſſertationis egrediar, finem labori imponam, contentus in generalibus quibusdam emtionis & venditionis principiis conſenſum Iuris patrii & peregrini ita demonſtraſſe, ut pateat, utrumque ius plerumque in illis conſentire, quae Iuri & aequitati naturali maxime ſunt conſentanea, in illis vero diſſentire, quae vel ſtatum cuiusque populi moribus diuerſi reſpiciunt, vel ex diuerſa & ſaepe falſa ICtorum Romanorum ratiocinandi methodo enata, vim Legum acceperunt.

ERRATA.

P. 7. lin. 7. ſed pacto ad dominum, *lege*: ſed pacto reſtrictum retinuit & ex eodem pacto ad dominum, *cer*.

Not. 1. l. 5. habent, *leg*. habuit.

• 1. l. 7. transferendam. *leg*. transferendum.



PRAENOBILISSIMO ATQVE ERVDITISSIMO
C A N D I D A T O
AMICO SVO PRAESTANTISSIMO

S. P. D.

HERMANNVS A DVHN, LVBECENSIS
O P P O N E N S.

*G*ratulor TIBI VIR PRAENOBILISSIME! de summis in viro-
que iure honoribus mox obtinendis. Nec minus & mihi gratulor, quod,
quum Dissertationem TVAM Inauguralem doctè eleganterque elaboratam
contra haesitantium dubia defendere velis, nec me indignum iudicaueris,
horum inter esse numerum. Profecto quam maxime laetor, me nunc oc-
casionè ista iam dudum exoptata gaudere, ut iterum testis esse queam
de splendida TVA eruditione, de qua iam TE, in Academia Helmsta-
diensi haud exiguum edidisse documentum, & ipse testis sum. Ast lae-
tus ille dies, quo ad honores, quos summa laude mereris, aspiras, &
tristis-

tristissimus simul mihi videtur. Praesagit ille dies hunc tristem, quo ex
hac Musarum sede discedis, meque relinquis, qui maximam ex consue-
tudine, quae mihi TECUM fuit, & utilitatem & suavitatem percepi
hausique. Sed quid? mox reuertetur serenus ille dies, quo in Patria
nostra consuetudine TVA iucundissima uti licebit. Quo fretus, ni-
hil adhuc restat, quam ut a Summo Numine exoptem, ut TE AMI-
CORVM SVAVISSIME! per longum annorum seriem saluum atque
incolumem conservet. Hocce tantum a TE peto, ut eodem, quo hucus-
que solitus fuisti, amore in posterum me prosequaris. Vale. Göttingae
die XXII. Maii anno MDCCLXVII.

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
ADDE BERNHARDO BVRGHARDI
DISSERTATIONIS HVIVS INAVGVRALIS
AVCTORI,
AMICO SVO CANDIDISSIMO ET INTER
PAUCOS DILECTISSIMO

S. P. D.

IOANNES NICOLAVS SEVECKE

SVERIN. MEGAPOLITANVS,

OPPONENS.

*F*eliciter iam Cursu academico peracto, solemnique examine superato, laetus & faustus dios iam aduenit, qui TIBI pro TVA, in perscrutandis Legibus iusti, & decori industria & assiduitate laude dignissima, lauream Themidis offert,

Non est, quod eruditionem TVAM vere egregiam laudibus extoliam: quum honores & dignitates non modo ob merita conferantur, sed TVA quoque in omnibus Iurisprudentiae partibus quanta sit doctrina, inter omnes iam constat. Certe, ab eo, quo TVA incundissima, mihi aestumatissima familiaritate & consuetudine usus sum, tempore, non modo semper indefessum TVVM in disciplinis pariter ac iuribus addiscendis studium miratus sum, sed dignum TE quoque, quem alii imitarentur, existimaui virum, qui sicuti virtute floret, sic quoque ingenii, scientiarumque laude reliquos superare alaboravit. Etenim, quanti TVI in litteris fuere profectus, quibus aetas iuuenilis ad humanitatem informari solet: testis non modo ego sum,

F
quum

quam TE socio studiorum ut olim mihi iam contigit, sed & actus illo
sollemnis, quo Gymnasio Lubecensi in Amplissimorum virorum concessa
publice valedixisti. TE vero lustrum, addiscendis altioribus studiis,
dicatum, felici cum successu consummasse, ingenique TVI egregias dotes
praeclare coluisse & testis est illustris Ictorum ordo, a quo, ut summus
in utroque iure honoribus, dignus es iudicatus & ipsum specimen elegan-
ter & docte conscriptum.

Summa igitur ex eo afficior laetitia, quod TIBI, VIR PRAE-
NOBILISSIME, AMICE AESTVMATISSIME, opponentis
spartam, contra Dissertationem TVAM erudite elaboratam, suscipien-
dam in me devoluere, meque simul in societatem laudum TVARVM vo-
care placuerit. Non possum ergo non TIBI gratulari de decretis hono-
ribus, & de gloria, quam hodiernus TIBI parit dies.

Gratulor etiam PARENTIBVS TVIS dignissimis, mihi aestuma-
rissimis, TE ornamentum familiae TVAE visuris.

Gratulor patriae TVAE carissimae, de tanto viro, cuius saluberrimis
consiliis & studiorum profectibus uti queat. Gratulor denique &
maxime mihi, quem non modo TVA amicitia, sed inter optimos TVOS
amicos, huic negotio dignum iudicasti.

Itaque ex animo precor, ut DEVS T. O. M., TE ad Nestores
vsque annos saluum & incolumem seruet, TVAQVE consilia semper ita
secundet, ut omnia in suam gloriam, reipublicae emolumentum, TVAE
que salutem succedant. Conserues ergo TVVM erga me fauorem, VIR
PRAENOBILISSIME, AMICE DILECTISSIME, nec unquam
me amare desinas etiam atque etiam rogo & obtestor. Vale, iterumque
vale, faueque. Scrib. Göttingae die XXII. Maii MDCCLXVII.

VIRO

VIRŌ
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DISSERTATIONIS HVIVS INAVGVRALIS
AVCTORI

ADDE BERNHARDO BVRGHARDI

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

D. H. CORNER, L. L. C. HANNOVERANVS.

*Summos in iure honores promerendi causa dum TV, CARISSIME
AMICE, cathedram adscendis, ego, cui haud vltimum adhuc inter
amicos concessisti locum, gratulationibus non possum non TE prosequi sa-
ne purissimis. Viam iam ambulas, nocturna TVA diligentia,
assiduitateque paratam, & ad honores aspiras, qui, doctrina TVA
haud vulgari quaesiti, ita TIBI competunt, vt ne iudex quidem,
cuius frontem serenitas notauit, eos denegare TIBI aude-
ret. Gratulor itaque TIBI, AMICE DILECTISSIME, gra-
tulator TIBI, simulque exopto, vt honoribus istis, quos omnium certe
adplausu adepturus es, diu, felix, faustusque fruaris, vtque tali modo
& legibus & patriae & TIBI amicisque TVIS diu multumque valeas,
quod cura. Dabam in Georgia Augusta die XXII. Mens. Maii
MDCCLXVII.*




ULB Halle
005 612 888

3







B.I.G.

Farbkarte #13

Pp. 77. num. 49
1767, 11

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
CONSENSV ET DISSENSV IVRIS
LVBECENSIS ET ROMANI
CIRCA EMTIONES ET
VENDITIONES.

P. 214

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GEORGIO III.

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE
REGE, FIDEI DEFENSORE, DVCE BRVNSVICENSI ET
LVNEBVRGENSI S. R. I. ARCHITHESAVRARIO
ET ELECTORE.

AVCTORITATE INCLYTI ORDINIS IVRIDICI
PRAESIDE

GEORGIO HENRICO AYRERO

PHIL. ET L. V. D. CONSILIARIO AVL. REGIO
ET IVR. ANTECESSORE

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA
RITE ET LEGITIME CONSEQVENDI
PVBLICAE DISQVISIONI SVBMITTIT

AVCTOR

ADDE BERNHARDVS BVRGHARDI
LVBECENSIS



AD D. XXIII MAII MDCCLXVII.

GOETTINGAE

LITTERIS HAGERIANIS curant. E. D. ALBERTI.

